



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXVII. Argumentum. Resolvitur non esse Cambium usurarium, si Campsarius petat, & insumat pecuniam in fuis necessitatibus, ac promittat pro lucro Cambii quatuor pro centenario, licet non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

- 20 puccinis Prædicatore zelantissimo in libello per eum typis dato contra Usurarios, ac Usurariam pravitatem *cap. 14.* adeo ut ipse P. Tuba in secunda parte *sui Currius quest. 4. cap. 17.* respondens P. Capuccino conetur suam assertionem iustificare, sed non absque difficultate; quia tolerantia Superiorum non est sufficiens ad reddendam licitam usurariam pravitatem; nam resistunt Bullæ Pii IV. & Pii V. & contra leges Pontificias non potest dari de non usu, nisi
- 22 probata scientia, & consensu Papæ. Baldellus *de Legib. lib. 5. diffus. 18. num. 5.* ubi DD. & Rota Romana; præterquam quod Antifites nostrorum temporum satis agant, si super Ecclesiasticorum moribus invigilent; & hinc est, quod grassentur inter laicos concubinitus, adulteria, & Usuraria labe; quæ sunt gravissima quidem piacula, ac nemo catholicus licita affirmabit. Oportet igitur in cambiis per literas ad nundinas, ipsæ literæ realiter transmittantur, &
- 23 transmissis executio detur per actualem numerationem pecuniæ Campfario faciendam in ipsis nundinis ad præscriptum Bullæ S. Pii Quinti, omni fictione remota. Tertia conditio est, ut
- 24 Campfor dans pecuniam petenti, restituendam sibi in nundinis, certus sit, ipsum Campfarium habere in nundinis pecuniam, seu merces, ex quarum exitu possit dictam pecuniam restituere, ut bene probat Tamburinus *diff. tract. 3. cap. 5. §. 1. num. 15.* et si *num. 16.* concedat sufficere in Campfore bonam fidem, reclamante tamen Bonacina *de contract. quest. 5. num. 24.* Quarta
- 25 est, ut in cambio restituendo in nundinis non fiat pactum ab initio de certo interesse solvendo, sed remittatur ad id, quod communiter practicabitur in nundinis. Lessius *lib. 2. cap. 23. dub. 9.* Tamburinus *d. cap. 5. §. 1. num. 19.* & *§. 7. num. 13.* & *14.* ubi hanc conditionem, ait, non esse in usu, sed eam esse necessariam, & observandam ostendit Eminent. Cardin. de Luca *de Cambiis disc. 3. num. 9. disc. 14. num. 4.* & *disc. 24. num. 8.* Quinta est, ut cambia cum lucro fieri non possint nisi pro proximis nundinis; ne si protrahantur ad secundas, tertias, vel posteriores nundinas, multiplicetur lucrum ex dilatione temporis, & transeat cambium in mutuum cum usuris. Tamburinus *d. cap. 5. §. 1. num. 20.*
- 27 Sexta conditio est, ut lucrum cambii commensuretur cum vicinitate, vel longinquitate locorum, in quibus celebrantur nundinæ, ita ut minus sit, si nundinæ, in quibus restituenda est pecunia Campfori, parùm distent; majus, si in magis longinquo loco celebrentur; ea ratione, quia ex majori distantia crescit in campfore damnum lucri cessantis, & difficultas, ac expensæ recipiendi pecuniam suam. Tamburinus ubi proxime *num. 22.* & *seqq.* et si *num. 24.* ex Molina, & aliis extendat augmentum lucri, ubi longiores sint termini concessi ad restituendam pecuniam Campfori, scilicet ob majus detrimentum, quod ipse Campfor patitur, cum non possit cum illa pecunia negotiari, & majora pericula, quibus remanet expositus. Septima tandem conditio est, quod si Campfarius morosus sit in restituenda pecunia habita ad nundinas, & Campfor pratendat ex illa mora sibi deberi interesse, ac alia damna emergentia, debeat inprimis, & ante omnia judicialiter interpellare eundem
- 28 Campfarium ad prædictam restitutionem pecuniæ faciendam, cum protestatione, intimatione,

ac notitia damnorum, ac interesse sibi decurrentium, seu imminutionem; aliàs dicta intimatione neglecta nec petere, nec consequi possit ipsum interesse, vel damna, ut advertit Gratian. *Discept. forens. cap. 829. num. 9.* Rota *part. 1. recent. decis. 52. num. 3.* & coram Sanctiss. Alexandro VIII. in antea Eminent. Card. Othobono *decis. 92. num. 1.* & *2.* Novissimè Eminent. Cardin. de Luca in *tract. de Cambiis disc. 2. disc. 11. 29* & *disc. 13.* in quibus, & in aliis ejusdem tractatus disserit de hac involuta materia cambiorum & recambiorum non satis cognita neque Theologis ob subtilitates Mercatorum ad lucra capeffenda, in quibus, ut plurimum, Anatocismos committunt, ut considerat idem Eminent. Cardin. de Luca *eod. tract. de Cambiis disc. 3. num. 8.* & *disc. 8. num. 6.* ubi demonstrat quando in Cambiis debeantur fructus fructuum, & non committatur Anatocismus, id est labe usuraria, ac fœneratitia? quod etiam docent mea Erotemata *cap. 93.*

Tandem corollarii loco notandum venit, quod etiam in cambiis minutis possit Anatocismus intervenire, si scilicet quis daret Campfori monetas aureas pro argenteis, cum pacto restituendi easdem argenteas, seu in argento post aliquod spatium temporis, & interim lucrum solveret sub titulo *aggii*, vulgò *lazo*; nam talis solutio lucri esset ob dilationem temporis ad restituendam illam pecuniam argenteam, & ita esset taciturnum mutuum, & ex eo lucrum usurarium, ut bene advertit Eminent. Cardin. de Luca *eod. tract. de Cambiis disc. 24. num. 7.*

DECISIO LXXVII.

ARGUMENTUM

Resolvitur, non esse Cambium usurarium, si Campfarius petat, & infumat pecuniam in suis necessitatibus, ac promittat pro lucro Cambii quatuor pro centenario, licet non habeat alibi modum negotiandi ad cambia, si tamen Campfor det pecuniam cum bona fide, & non habeat certam scientiam intentionis, ac egestatis ejusdem Campfarii.

SUMMARIUM

1. Cambii Romani casus.
2. F. Bonaventura de Montaneana Capuccinus servens Prædicator.
3. Campfario accipiente pecuniam sine animo girandi ad cambia, Cambium dicitur Siccum, & usurarium.
4. Scientia requiritur in Campfore de intentione Campfarii infumendi pecuniam in suis necessitatibus, ut cambium sit Siccum.
5. Bona fides Campforis, quod pecunia data, vel æquivalens alia giretur in Cambiis, excusat eum ab usura, & *num. 9.*
6. Rota Romana decisio, quod d. bona fides excuset ab usura.
7. Dominium pecunia data ad cambium pro nundinis statim transit in Campfarium, & potest ea uti ad placitum, si habeat alibi aliam.
8. Campfario sufficit habere amicum cambiantem loco pecunia cambianda.
10. Campfor ab initio pacisci non potest de certo lucro.
11. Pactum de certo lucro in cambiis quando sufficit?

12. Pæ.

12. Pactum lucrandi quatuor pro centenario in cambiis est honestum.
13. Pactum moderati lucri sustinetur in cambiis, etsi factum à principio.

PROPOSITUS mihi fuit sequens casus Romanus, cum instantia, ut responderem, an in eo sit, vel non sit Usura? Casus est huiusmodi. Petrus se constituit debitorem Pauli in Scutis mille pro tot pecuniis ab eodem Paulo acceptis; & quia ipse Paulus non solet retinere suas pecunias otiosas, ut Petrus asseruit, se scire, & esse bene informatum, assumpsit ipse Petrus in se onus cambiendi, & recambiendi eadem Scuta mille pro duobus annis, quibus transactis promissit restitutionem. Sed quia idem Petrus non est mercator, neque Campsor, ad prædictum effectum deputavit Andream Campforem in eadem civitate Romæ, ut expensis risico, ac periculo ejusdem Petri faciat huiusmodi cambia, & recambia. Pacto inito interim cum Paulo, ut dicta cambia, & recambia non debeant excedere Scuta quatuor in anno pro quolibet centenario, & si excederent, debeant esse in utilitatem debitoris, & si non ascenderent, in damnum creditoris. Hæc cambia & recambia dictus Petrus promissit solvere de semestri in semestrem, & eo deficiente, seu ejus mercatore non cambiante, aut recambiante, loco damnum, & interesse lucri cessantis, & damni emergentis dicti Pauli creditoris, Paulus debitor teneatur solvere dicta cambia, & recambia, ut supra; & sic liberavit eundem Paulum creditorem ab omni onere, cura, & sollicitudine prædictorum cambiorum, & recambiorum, & Petrus assumpsit in se omne onus, & hæc omnia servare promissit cum juramento, & in forma Camera observare. Quæritur, an in tali casu intret labes Usuraria, & Anacisimus?

Et equidem casum hunc esse contractum Usurarium, & illicitum pluribus rationibus probavit R. P. Bonaventura de Montaneana Prædicator Capuccinus, zelo fervens, & invehens in suis concionibus contra usurariam pravitatem, de quo dictum est supra in Decis. anteced. num. 20. sed præcipue, quia prædictus Petrus assertus Campsarius nullam intentionem, neque habilitatem habebat girandi ad cambium dicta Scuta mille, quæ imò accepit à Paulo ob proprias necessitates, in quarum levamen ea consumpsit; unde fit, quod talis contractus non sit cambium reale à legibus permissum, sed cambium Siccum, ab iisdem damnatum; cum in rei veritate sit verum, & merum mutuum, ex quo nefas est lucrum recipere; & contra hæc cambia sicca extant duæ Constitutiones Summorum Pontificum Pii IV. quæ est la prima in §. 1. nec non S. Pii V. quæ est Bulla 118. in Bullario Romano tom. 2. & contra eadem cambia sicca exclamant Theologi, Canonistæ, ac Summistæ inter quos Azorius part. 3. lib. 10. de Cambio Sicco capit. 10. Scaccia de Cambiis §. 1. quæst. 7. part. 2. ampliat 9. n. 9. Reginaldus lib. 25. num. 399. Rebellius de Justit. & Jur. lib. 15. quæst. 5. num. 3. Et Comitulus Resp. Moral. lib. 3. quæst. 14. 15. & 16.

Ego autem requisitus dicere, quid sentirem de prædicto casu, respondi, quod, si Paulus certò sciebat, Petrum consumpturum esse illa Scuta mille in necessitatibus domus suæ, neque eum habere alibi pecuniam ponendam in cambiis

Dgñt. Clericaj Tom. II. Lib. IX.

ad negotiandum, neque posse invenire amicum mercatorem, qui summam æquivalentem nomine Petri giraret in cambiis, supradictus contractus Pauli cum Petro non sit licitus. quia est cambium Siccum, ac mutuum manifestum, & per consequens lucrum ex eo receptum est Usurarium, ut docent DD. quos citat, & sequitur Leotardus de Usuris quæst. 26. à num. 50. & seqq. Rota coram Peutingerio Decis. 163. num. 5. & Decis. 196. num. 13. ac alii per me adducti supra in anteced. Decis. LXXVI. num. 8. & 9.

Porro si Paulus bona fide crediderit, Petrum esse positurum illa Scuta mille ad cambium, vel, si ea expensurus foret in suis necessitatibus, putaverit, eum habere aliunde æquivalentem summam collocandam in cambiis, aut non deesse Petro amicos mercatores, qui ejus nomine ponerent ad cambium eandem pecuniarum quantitatem, contractus Pauli posset sustineri tanquam licitus, neque redarguendus foret de Usura, ut novissimè post diligens studium omnium Auditorum decisum fuit à Rota Romana in Bononiensi Cambiorum die 24. Februarii 1676. coram R. P. D. Rondinino, quæ inter impressas post Novarii Summam Bullarum est Dec. XVII. quæ num. 9. ita loquitur.

„ Verum quatenus præsumi posset in Cornelio [creditor pecuniæ exbursatæ] scientia, quod pecuniæ ab ipso traditæ ad effectum cambiendi non essent transmittendæ ad nundinas, adhuc tamen illa ad effectum, de quo agitur, non noceret, nisi probaretur etiam scientia probabilis, quod illi, quibus traditæ sunt pecuniæ ad cambiendum, non haberent, vel habere possent in nundinis summam æquivalentem; quia juxta notorium usum Urbis, & aliarum Regionum, pecuniæ, quæ sumuntur ad cambium, ut plurimum erogantur pro dissolvendis debitis, vel pro emptione bonorum, & in alios usus; neque ideo dicitur cambium illicitum, quia illud exercendum est cum pecunia æquivalenti, ne aliàs soli nummularii cambia exerceant, uti distinguendo hunc casum ab alio, in quo tradens pecuniam scit, illam transmittendam non esse, neque summam æquivalentem, concludunt communiter, quamvis in modo explicandi non convenient Navarrus in Manuali cap. 17. num. 230. & num. 298. & seqq. Merenda contror. lib. 24. cap. 42. à num. 42. Azor. part. 3. lib. 10. de Cambiis cap. 10. Vers. 3. & 4. Lupus de Usuris comm. 3. §. 2. num. 65. Leotardus quæst. 26. num. 50. & §. 1. & quæst. 89. num. 50. Filiuccius tract. 35. part. 2. cap. 8. num. 433. Cardin. de Lugo de Justit. & Jure disput. 28. sess. 7. num. 78. Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 7. num. 68. Bonacina tom. 2. de Contract. disput. 3. quæst. 5. punct. 1. Unica, Vers. Siccum. Molina tract. 2. disput. 404. sub num. 7. Palaus tom. 7. disput. 7. de Cambiis punct. 8. & punct. 15. Peguerius Decis. 33. num. 4. Giballinus de Usuris lib. 5. cap. 1. art. 6. num. 5. & seqq. & Turre de Cambiis disput. 1. quæst. 14. num. 12. Hucusque Rota, quæ sequitur num. 10. reddens hanc rationem notatu dignam, videlicet:

„ In hoc enim contractu dominium pecuniæ ad cambium receptæ statim transfertur, & acquiritur recipienti, qui illa uti potest tanquam re sua, & in proprios usus convertere, & postea aliam pecuniam in nundinis reddere

R

„ di-

diversam à recepta, cum usuf cambiendi hunc in modum invaluerit. Et paulò infra num. 14. subdit: Ita ut pro reddenda æquivalenti specie pecuniæ receptæ nec etiam requiratur, quod illam recipiens habeat æquivalentem summam in nundinis, sed sufficiat, quod habeat amicum mercatorem, qui ejus nomine ibidem solvat, & recambiat, prout facere promiserunt debitores in hoc casu; quasi idem sit habere numismata, vel nomina debitorum, ex quibus vera, vel virtualis solutio sequatur. Et allegat plurimos Doctores, inter quos Diana part. 1. tract. 8. resol. 2. Quæ in Coordinato opere habetur tom. 6. tract. 3. resol. 3. ac Duardus de Cambiis §. 1. quæst. 40. à num. 21. & quæst. 42. sub num. 32. & quæst. 51. sub num. 1. referens ita determinatum fuisse in Congregatione ab Urbano VIII. deputata.

Huic Rotali doctrinæ addenda est illa Eminentiss. Cardin. de Luca in suo tract. de Cambiis disc. 3. num. 6. & 7. & disc. 23. num. 9. ubi rationibus, & juribus confirmat, non esse vocandum usurarium contractum, quando qui petit & recipit pecuniam ad cambiendum, eam insumit in suis necessitatibus, si ille, qui dictam pecuniam exburfat, bona fide credit, esse in camba girandam, nec certam notitiam habet de fine, & intentione recipientis, insumendi scilicet illam in suis necessitatibus.

Scrupulum potest facere in hoc casu, quod Paulus pactum fecerit cum Petro de quatuor Scutis pro centenario annuatim solvendis; ita enim probatum est supra in Decis. LXXVI. num.

25. quod ab initio non possit Campfor pacisci de certo lucro, sed expectare debeat id, quod in nundinis fuerit taxatum, ut advertit etiam Eminentiss. Cardin. de Luca dict. tract. de Cambiis

disc. 3. num. 9. disc. 14. num. 4. disc. 24. n. 8. Sed respondetur, vel quod dictum pactum vitietur, & non vitiet contractum, quia non est contra ejus substantiam; vel quod ob ejusdem lucritenitatem sustineatur, quia cambiorum lucrum longè majus esse solet, ideòque illud plus cedit ad favorem Petri Campfarii, ut considerat idem Eminentiss. Cardin. de Luca in eodem tract. disc.

26. num. 9. & 10. vel tandem sustinetur dictum pactum, neque facit contractum injustum, quia evidens est justitia ejusdem pacti, quandoquidem Paulus Campfor convenit, ut pro lucro sibi solveret à Paulo quatuor pro centenario cum his duabus conditionibus, Una, quod si lucrum ex cambiis faciendis excederet dicta quatuor Scuta, excessus cederet ad favorem Petri Campfarii, Altera, quod si lucrum non ascenderet ad dictam summam quatuor Scutorum, damnum, ac defectus spectet ad Paulum creditorem.

igitur, cum tale pactum sit honestum, lucrumque conventum non sit excessivum; quippe in cambiis solet taxari usque ad duodecim pro centenario, ut ait Rota part. 13. recent. decis. 413. num. 9. ac proinde sit lucrum moderatum ad tradita per Baldum, quem citat, & sequitur Rota p. 14. rec. decis. 126. n. 41. utique præ-

dictum Pauli pactum judicandum est justum, & stante ejus justitia, quamvis initum à principio, est tolerandum, ac sustinendum; ut in terminis probant Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 11. num. 90. & Reginald. lib. 25. num. 467. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus d. tom. 6. tract. 3. resol. 16. desumpta ex veteri p. 1. tract. 8. resol. 15. Qua-

re concludo, casum Romanum, de quo supra, esse licitum, non autem Usurarium.

DECISIO LXXVIII.

ARGUMENTUM.

Probatur, cambia maritima Spalatensium cum lucro certo sex pro centenario omni trimestri esse licita, ac legitima, quia verè, & propriè non sunt cambia, sed societates ad negotiandum, cum assecuratione pecuniæ à periculis, quam campfor ipse facit.

SUMMARIUM.

1. Spalatum Civitas nobilissima.
2. Cambiorum maritimorum Spalatensium formula.
3. Cambia maritima an sint licita?
4. Assecurationis contractus est licitus.
5. cap. Naviganti de Usuris explicatio.
6. Nauticum senus de Jure Civili erat permissum.
7. Cambia maritima Spalatensia sunt legitima.
8. Quia sunt societates ad negotiandum.
9. Socius in negotio assumens in se periculum majus lucrum percipit.
10. Contractus trium contractuum in societate est licitus.
11. Usus universalis circa lucrum in negotiis facit ipsum licitum.
12. Maris navigatio semper periculosa.

IN antiquissima, ac nobilissima civitate Spalati [quæ est Urbs Archiepiscopalis Dalmatiz, olim Diocletiani Imperatoris palatium; portu satis amplo, ac tuto ornata] habentur in usu Cambia maritima, pro quibus singulo trimestri solvuntur Campfori sex pro centenario, attento periculo pecuniæ, quod ipse in se suscipit, prout ex sequenti formula, seu Cambii partita: Laus Deo 1702. Primo Giugno, Spalatro. Per il primo di Serembre prossimo venturo pagara Lucio Stella Ducati cento, e sei à Cajo Mario, sono per Ducati cento avuti hoggi dal medesimo a cambio maritimo, che deve correre sopra la Peora del Paron Zuanne Predolin col rischio di fuoco, mare, e corsari il presente suo viaggio per Venezia nell' andare in là solamente, che Iddio loguardi. Val. Duc. 106. Chiamandosi piezo, e principale pagadore per la soddisfazione del suddetto danaro, spirato l' accennato termine, Marco Claudio.

Dubitare contingit, An prædicta Cambia maritima sint licita, vel illicita? Et non absque gravi motivo; siquidem circa ipsa magna est controversia inter Theologos, & Canonistas, quos novissimè refert Fagnanus in cap. Naviganti, n. 4. & seqq. de Usuris & qui à me fuerunt collecti in his meis Decisionibus Miscellaneis de Usurarium materia Decis. XXXVIII. in qua examinaui illud Quæsitum, An liceat recipere lucrum in mutuo ratione periculi? Siquidem pro justitia prædicti contractus, & quod licitum sit antedictum lucrum, præter plures alias rationes, illa fuit considerata potissima, quod contractus Assecurationis absque dubio sit licitus, & ab omnibus DD. permittatur. Molina de Justit. & Jur. disput. 318. num. 3. disput. 507. per totam. Gaspar. Anton. Thesaurus Quæst. forens. lib. 4. quæst. 77. & Leotardus de Usuris quæst. 23. num. 42. At in supradicto Cambio maritimo Campfor suscipiens in se periculum ignis, maris, ac piratarum, quod imminet pecuniæ, dum per mare trajicitur Venetias, facit vicem Assecurationis, liberatque Campfarium ab obligatione restituendi eandem pecuniam sibi mutuam, &